



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiārvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

An ex fine omnes actus pensari debeant, A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

*In princip.
cap. 25. in
Tom. 3.*

*Hier. ad pri-
mum caput
Ezech. ad
locum.*

*Et scintilla
quasi aspe-
ctus aëris
candens.*

In tom. 5.

*Responso-
secundum
alios.*

naturaliter. Quare naturaliter, & quare naturaliter dicitur? Quia talis fuit motus naturæ humanæ in prima conditione, in qua creati sine vitio sumus, quæ propriè natura dicitur. Fuit enim homo creatus in voluntate rectus. Vnde in lib. de fide ad Petrum scriptum est. Firmissime tene primos homines bonos, & rectos esse creatos cum libero arbitrio, quo possent si vellet propria voluntate peccare: eosq; non necessitate, sed propria voluntate peccasse. Recte ergo dicitur homo naturaliter vel le bonum, quia in recta & bona voluntate conditus est. Superior enim scintilla rationis, quæ etiam (vt ait Hier.) in Chain nō potuit extingui, bonum semper vult, & malum semper odit. Alium autem dicunt motum esse quo mens relicta superiorum lege subiicit se peccatis, eisq; oblectatur. Ille motus, vt aiunt, antequam adsit alicui, gratia dominatur & regnat in homine, alterūq; deprimit motum: vterq; tamen ex libero arbitrio est. Veniente autem gratia ille malus motus eliditur, & alter naturaliter bonus liberatur, & adiuuatur vt efficiaciter bonum velit. Ante gratiā verò licet naturaliter homo velit bonū, non tamen absolute cōcedi oportet bonam habere voluntatem, sed potius malam. Alii autem dicunt unam esse voluntatem, id est, unū motum, quo naturaliter vult homo bonum, & ex vitio vult homo malum, eoque delectatur: & in quantum vult bonum, naturaliter bonus est, in quantum malum vult, malus est.

AN EX FINE OMNES ACTVS PEN-
sari debeant, vt simpliciter boni vel mali dicantur.

D I S T I N C T . X L .

POst hæc de actibus adiiciendum videtur: Vtrum & ipsi ex fine, sicut voluntas, pensari debeant boni vel mali. Licet enim secundum quosdam, omnes boni sint in quantū naturaliter sunt:

non



non tamen absolutè dicēdi sunt omnes boni, nec omnes remunerabiles: sed quidā simpliciter mali dicuntur, sicut & alii boni. Nam simpliciter ac vere sunt boni illi actus, qui bonam habent causam & intentionem, id est, qui voluntatem bonam comitantur, & ad bonum finem tendunt: Mali vero simpliciter dici debet, qui perversam habent causam & intentionem. Vnde Ambr. ait, affectus tuus *Ambr. lib.* operi tuo nomen imponit. Et Aug. super Ps. 31. Ne- 13 offic. c. 30. mo coparet bona opera sua ante fidem. Ita enim *ad princip.* videntur mihi esse ut magnæ vires, & cursus celer. *tom. I.*

rimus præter viam: quia ubi ipsa fides non erat, *August. To-* bonum opus non erat. Bonum enim opus intētio *mo 8. prefa-* facit, intentionem fides dirigit. Non valde atten- *tione ad il-* das quid homo faciat, sed quid cum facit, atten- *lum Psal. 31.* dat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat. *ante mediū.* His testimoniosis insinuari videretur, ex affectu & fine opera bona esse vel mala. Quibus consonat quod veritas in Euangelio ait. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Nomine arboris non natura humana mentis, sed voluntas intelligitur: quæ si mala fuerit, non bona, sed mala opera facit: si vero bona fuerit, bona non mala opera facit.

Vtrum omnia opera hominis ex affectu, & fine sint bona vel mala.

Sed queritur. *Vtrum omnia opera hominis ex affectu, & fine sint bona vel mala?* Quibusdā ita videretur esse, qui dicūt omnes actus esse indifferentes, vt nec boni nec mali per se sint, sed ex intentione bona, bonus, & ex mala malus sit omnis actus. Secundū quos quilibet actus potest esse bon⁹ si bona intentione geratur. Alius a. videretur, quod quidam actus in se mali sint ita, vt nō possint esse nisi peccata etiam si bonā habeant causam: & quidā in se boni ita, vt etsi malā habeant causam, non tamen boni esse desinant. Quod testimonio Aug. confirmant,